MILES



IMMACULATÆ

Rycerz Niepokalanej JULIUS–SEPTEMBER 1939 Annus II Nr. 3 (7)

SUMMARIUM

Ab Administratione

Multi et reverendissimi nostri Lectores litteris nobis communicaverunt se velle pecuniis quoque opus Immaculatae promovere et adiuvare. Attamen his temporibus, cum singularum civitatum aerarii moderatores modum pecuniae in alias civitates transmittendae constituissent, difficile est peregre etiam parvam summam pecuniae transmittere, quae ut norma annuae subnotationis decreta est. Quam ob rem ut haec transmissio facilior reddatur, certiores omnes facimus, quorum interest, quique cupiunt ad opus Immaculatae promovendum etiamsi parvam oblationem mittere, posse hoc facere votis praebitis Missalibus peractis, quae a conventu nostro cuique transmissae erunt, quorum autem votorum stipendium apud nos permaneat. Satis erit igitur Administrationem certiorem facere de hac re, quae retro per cursum publicum una cum speciali charta receptui indicando destinata cum adiuncta prece de Missa sacra celebranda remittet.

Superiorum et Ecclesiasticae Auctoritatis permissu.

Moderator (redaktor) P. Pius M-a Bartosik

Editor: „MILITIA IMMACULATAE" P. Maximiliano M-a Kolbe administrante.	Wydawca „MILICJA NIEPOKALANEJ" pod dyr. O. Maksymiliana M-a Kolbe.

Pretium annuae subnotationis: Dona, quae quisque ex animi sententia offert, grato animo accipimus; norma 0.75 fr. helv. (5,50 lirae ital.) in Polonia — 0.65 zł.

Aedes directionis et administrationis: **Niepokalanów** p. Teresin (Wr.) Polonia (Pologne).	Adres redakcji i administracji: **Niepokalanów,** p. Teresin (Wr.)

Druk „Rycerza Niepokalanej", Niepokalanów, p. Teresin k. Soch. Stacja kol. Szymanów

Quae ratio intercedere debeat inter hominem et Deum atque inter ipsos homines Immaculata nos docet

Labor, quem quis hucusque ad augenda bona fortunae immediate non suscipiebat, parvi aestimabatur. Qua de causa permultae oriebantur obiectiones sacerdotes oppugnantes, ad eorum pro animarum salute conatum contemnendum.

Utinam saltem in hoc desistant: sacerdotem populi hostem proclamaverunt.

Hisce tamen temporibus auctoritas nostra, in numero quidem catholicorum, magis ac magis augetur. Mens catholica crescit in cognoscendis Christi praeceptis; materialismus, etsi non e tota hominum vita, saltem in eorum doctrina labefactatur. Aliter iam sapit homo eruditus, alio in rerum ordine iuventus Universitatum versatur, itemque consuetudo catholicorum operariorum eorumque mens mutatur.

Conditiones itaque apostolico labori magis hodie accommodatae apparent, etiamsi nunc quoque magnam animi constantiam exigant.

Quid igitur sacerdotis cor inflammet, ut pro aliorum salute vitam suam sacrificet? Primo sacerdotii anno alacritas ipsa sufficiebat. Postremis vero annis fundamentum, in quo omne studium ad Christum cognoscendum confertur, ut profundius perspiciatur, necesse est. Fundamentum hoc correlationem inter Deum et homines esse, nemo est, qui neget.

Quanti momenti sit illa in vita sacerdotis, quisnam nesciat. Sine ea nihil omnino solidum pro animarum lucro suscipitur.

Tota Dei actio ad salvandas et sanctificandas nostras animas in correlatione veluti inter Deum et homines et inter ipsos homines, ut ita dicam, habendo prae oculis praesentem supernaturalem oeconomiam, fundatur. A morali enim creaturarum qualitate maior minorve externa Dei gloria procedit. Et vicissim beatitudo et prosperitas hominis a gloria quae Deo datur, pendet. Deus et homo! Utriusque igitur finis assecutio rationem tum in voluntate Dei tum in voluntate hominis habet – non eodem tamen modo.

Cum progressus in vita spirituali hominum multis conditionibus in quibus vivimus et versamur, quarumque existentia a nobis dependet, aut acceleratur aut tardatur, ideo huius correlationis sensum nos sacerdotes imprimis intelligere debemus, ne quis coram Deo conqueratur se ob nostram malevolentiam suum supernaturalem finem assequi non potuisse.

Quia tamen a Summis Pontificibus multum laudatur et commendatur cooperatio saecularium catholicorum una cum sacerdotibus in vinea Christi, ergo eorum quoque mentem hac in re illuminare eorumque ideam claram, distinctam formare debemus.

Qua in re perfectissimum ad imitandum nobis exemplar Christus est – utpote „bonus pastor, qui animam suam dat pro ovibus suis ut vitam habeant et abundantius habeant". Tale vividum exemplum praestat nobis etiam Immaculata Virgo.

Nonne Eius, tempore Annuntiationis, se gerendi modus in nobis summam admirationem excitat? Promissione enim ab Archangelo fa-

cta Maria, etsi iam super omnes terrae incolas ob gratiam Immaculatae Conceptionis superexaltata, proximam in coniunctionem cum Deo intrat.

Si tamen Immaculata Virgo verbis Dei nuntii consenserit, non ratione dignitatis Matris Dei, quae hac de causa Ei obvenerit, sed quia Deum et homines propter Deum diligebat.

Omnia enim prophetarum verba de Christo venturo plane cognoscendo, conclusione deducta perspicere potuit omnes vitae amarissimas circumstantias Matris Filii Dei. Antequam Deus superposuerit capiti Eius coronam duodecim stellarum, homines ingrati caput eius dolorum corona circumdabunt, Eiusque in cor gladium septem dolorum infigent.

Maria enim omnia prophetarum verba sensu proprio, ne paulisper quidem materialismi nebula velato, intelligebat. Prophetias ergo de passionibus et morte Filii Dei cum Eius messianica missione admirabiliter referebat:

„Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti. ...Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.

...Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.

...Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea".

Omnia haec de crudeli Christi morte legendo, Mariae ne unquam concidit animus. Immo, ardenti in Deum et homines flagrans amore, etsi numquam se Dei Matrem posse esse existimaret, in prophetarum schola, ut optima Dei Genitrix evaderet, rite educabatur, alacer in passionibus, prompta in vovenda vita sua Suique Filii pro nostra salute.

Nihil mirum igitur, quod Maria ad Archangeli propositum suum consensum dederit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Quibus in verbis parata apparet Immaculata Virgo in salvifico Dei opere, nullis obstantibus periculis, ancillam esse.

Tamquam Dei Mater, Maria particeps facta est messianici operis Christi, Sui Filii.

Et numquam animus Mariae labefactus est. Neque ignorantia hominum, qui sine ullo affectu Christum aspiciebant, neque hostium malevolentia, neque eorum invidia qua Deum suum ad mortem crucis prosequebantur – Mariam a re Christi declinaverunt. Omnia enim propter Deum et pro hominum salute passa est.

Nonne et hodie Immaculatae Virginis admiranda est insolita patientia, perseverantia eius erga homines caritatis. Quam saepe sua sponte homines, miseros filios suos, ut eos de stercore moralis miseriae sublevet, gratia illuminat et incitat. Et numquam agere cessat, etsi non semel nullam veluti spem habeat emendandi peccatores, etsi ob contumaciam et coecam hostium invidiam confusa est.

En perfectissimae inter Deum et homines correlationis intelligendae exemplar: in regno Christi, filii Dei, non autem filii mundi, esse debent.

Victrix Immaculata Virgo, quae caput serpentis Virgineo pede semper conterit, est nobis perpulchrum exemplum apostolici conatus. Sub eius vexillis malum victum, gloriam Dei auctum, hominesque inanibus gaudiis privatum iri, speramus.

In schola Reginae Apostolorum ardentis cordis cooperatores in vinea Christi educantur. Idem iam B. Ludovicus M-a Grignon concludit:

„...Ante consummationem saeculi Deus cum Sancta Sua Matre sanctos sibi conformabit, qui sicut cedrus Libani arbuscula, ita illi alios sanctitate praecellent. Qui quidem sancti ut Dei hostibus resistant, qui undique Eum impugnant, vocabuntur. Speciali in Sanctissimam Virginem devotione flagrantes, ab Ea illuminati, Eius lacte potabuntur, Spiritu Eius dirigentur, Eiusque brachio ita suffulcientur ut una manu dimicent et altera aedificent. Una manu oppugnabunt, affligent et delebunt: haereticos una cum eorum pravis sententiis, omnes a doctrina vere Christiana alienos, falsorum deorum cultores et peccatores cum eorum pravitate; altera vero manu verum Salomonis templum extruent et mysticam Dei urbem i. e. Sanctam Virginem, quam Patres Ecclesiae „Templum Salomonis" et „Urbem mysticam" appelarunt. Qui quidem Dei Genitricis ardentes cultores orbem totum verbis et exemplo ad veram Immaculatae Virginis devotionem excitabunt, quod ceterum multos eis hostes, attamen et multas victorias eis parabit atque magnam Deo gloriam afferet".

Mpi.

Ad Ecclesiam defendendam — sub signo Immaculatae

DE MILITIA IMMACULATAE CONDITA EIUSQUE PRIMIS PROGRESSIBUS

Ante Bellum Gentium, Romae, in vitae Christianae urbe capitali Liberorum Caementariorum (vel Latomorum) coniuratio quamquam a Pontificibus Maximis persaepe reprehensa tamen in dies magis grassabatur. Neque metuerunt in Giordani Bruni festis vexillum atrum circumferre cum Michaëlis Archangeli imagine a Satana Lucifero, qui vocatur, conculcati, aut ante aedium Vaticani fenestras insignia Latomorum ostendere. Etiam talia manus quaedam furiosae scribere ausae sunt: Satanas in monte Vaticano regnabit, Pontifex Maximus autem portitor ei serviet" et alia huius modi opprobria. Quae immania erga Christi Ecclesiam Eiusque Vicarium temporalem odia non sunt singulorum hominum dementium ineptiae, sed modus, via ac ratio agendi, qui ex Latomorum praecepto colligitur: Ut omnis doctrina divina, imprimis catholica destruatur.

Cuius coniurationis foci in omnibus regionibus constituti, variis modis plus minus perspicuis unam tamen eandemque rem agunt. Eo consilio multis variisque societatibus utuntur, quae eis auctoribus rerum divinarum inscientiam propagant moresque corrumpunt; quod Liberi Caementarii praecipue curant hoc consilio: „Rem Catholicam non ratiocinatione, sed moribus corruptis vinci posse". Itaque animos hominum eo genere litterarum atque artium obruunt quo facilius morum castorum sensus destruatur inque omnes vitae humanae partes morum sordes propagant; hominum ingenia quae fortia erant debilitantur, familiae rumpuntur cordibus maculatis, maeror insanus crescit. Tales animae, dum iugum infame quod gestant decutere non valent, Ecclesiam vitant, aut etiam contra Eam consurgunt. Tam multis infelicibus animis ut auxilium ferretur, ut corda innocentia stabilirentur, quo facilius omnes Virginem Immaculatam per quam tam multae gratiae ad

nos descendunt, adire possent, Militia Immaculatae A. D. 1917 Romae in Collegio Mundano Fratrum Minorum Conventualium constituta est. Primum quidem constituerunt eam tres huius Collegii alumni feriarum aestivarum tempore, ad Thermos Caracallae in vineto q.v. villa Antoniana. Quorum unus Hieronymus Biosi post piam vitam ordinis sacerdos decessit in monasterio q.v. Campo Sampierro, in sua ordinis provincia. Societas secreto constituebatur, omnium praeter praepositos inscientia neque cuiquam de illa aliquid dicebant, nisi quem socium facere voluerint.

Ita sociorum numerus usque ad conventum, qui die 17 m. Octobris habitus est, ad 7 creverat. In hoc conventu coram Immaculatae statua duabus candelis illuminata ianua clausa commentariolus compositus est societatis proposita ac leges continens et aliquid solacii sumptum, cum Pontificis Maximi confessarius se ei de societate constituta dicturum esse promisisset. Quod tamen tunc fieri non potuit.

Conventus ille primus ultimusque illius temporis fuit, nam annus venit totus tam multis difficultatibus durus, ut etiam sociorum alter alteri huius rei mentionem facere non auderet.

A. D. 1918 morbus Hispaniensis (vel „influentia") grassari coepit vitasque hominum metere.

Tum in vitam aeternam transcenderunt duo ex societate septem sociorum perspicuis cum signis electionis, P. Antonius Maria Głowiński ex Ordinis provincia Romaniana atque clericus fr. Antonius Maria Mansi ex provincia Neapolitana. Ille patre Polono matre natus Ruthena in Romania educatus est neque linguam Polonicam discere ei contigit. Studiis peractis doctorisque gradu accepto Assisium otiandi causa profectus est ibique captivos Romanianos cum visitaret, morbo contactus post dies decem de vita decessit.

Militia Immaculatae (M. I.)

„Ipsa conteret caput tuum".
Gen. III, 15.

„Cunctas haereses Sola interemisti in universo mundo.
Off. B. M. V.

I — **Finis:** Quaerere conversionem peccatorum, haereticorum, schismaticorum, iudaeorum etc. et praesertim massonum et sanctificationem omnium sub patrocinio B. V. M. Immaculatae Eaque mediante.

II — **Conditiones:** 1) Totalis suimetipsius B. M. V. Immaculatae oblatio tamquam instrumenti in immaculatis Eius manibus.

2) Gestare „Numisma Miraculosum".

III — **Media:** 1) Possibiliter semel quotidie Immaculatam iaculatoria oratiuncula: „O Maria sine labe concepta, ora pro nobis, qui ad Te recurrimus et pro omnibus qui ad Te non recurrunt et praesertim pro massonibus et commendatis Tibi", exorare.

2) Omnia legitima media secundum possibilitatem in diversitate status, conditionis, occasionis, quod zelo et prudentiae uniuscuiusque commendatur; et praesertim „Numisma Miraculosum".

N. B. 1) Media (sub III) habent solum vim consilii.

2) Nihil sub aliquo vel minimo peccato ligat, solo amore sine limite erga SS. Cor Iesu, ut Ei quam plurimas animas quam strictissime per Immaculatam uniamus, moveamur.

Curabat eum P. Aemilius Norsa Judaeus conversus, Immaculatae magnus cultor; huic P. Antonius diem mortis suae praedixit atque interrogatus unde sciret, sibi Angelum Custodem dixisse respondit; et revera die praedicta mortuus est. Ante mortem, cum una die ex somno suscitatus esset: Quantum doleo – inquit – me etiam nunc in hoc mundo suscitatum esse.

Post eius vestigia Fr. Antonius Maria Mansi properavit. Natus Londini, gente Italus ex urbe q.v. Ravello, musicus atque poëta; morbo per Patrem quendam contactus est, qui militans eo erat affectus. Ante mortem singulari oboedientia in ordine excellebat. Una die P. Rectorem rogavit, ut sibi carmen ad Virginem sanctissimam canere permitteret, qui, quamquam dubitans, an ille canere posset, cum tam morbo debilitatus esset, permisit. Tum ille, omnibus mirantibus, clara voce carmen cecinit. Postquam mortuus est, in carminibus eius unum ad beatum Bonaventuram Ravellensem compositum inventum est, in quo rogat, ut sibi, dum carmen Virgini Sanctissimae canat, mori contingat. Inventi sunt etiam codicilli (quamquam commentariorum suorum partem, finem vitae appropinquare sentiens, combusserat) quibus intima animae eius mirabilis revelantur.

Opinari licet, a his duobus Militiae Immaculatae sociis multum in coelis actum esse, nam brevi post eorum discessum omnes difficultates evanuerunt: Pontifex Maximus per verba archiepiscopi D. Jacuet'i benedixit et ad progressum hortabatur, sociorum numerus continuo crevit. A. D. 1922 die 2 m. Januarii Cardinalis Basilius Pompili, Romae vicarius canonice Mil. Immac. in Collegio constituit his decreti verbis: Desiderantes, ut Virginis Sanctissimae cultus propagetur, auctoritate nostra canonice societatem piam constituimus, quae vulgo „Societas Pia Militiae Mariae Immaculatae" vocatur, in Oratorio Colle-

---

ACTUS CONSECRATIONIS B. M. VIRGINI IMMACULATAE

O Immaculata coeli et terrae Regina, Refugium peccatorum et Mater nostra dilectissima, Tu cui Deus totum ordinem misericordiae committere voluit, ego NN. indignus peccator ad pedes Tuos me provolvo suppliciter petens, ut me totum et totaliter tamquam rem et proprietatem Tuam assumere, et mecum cum omnibus potentiis animae et corporis, cum tota vita, morte et aeternitate mea, quidquid magis placet, facere digneris. Utaris etiam, si hoc Tibi placet, me toto et totaliter ad hoc quod de Te dictum est: „Ipsa conteret caput tuum" et „Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo" exequendum, ut in Tua immaculata et misericordissima manu aptum sim instrumentum ad gloriam Tuam in tot deviatis et tepidis animis introducendam et quam maxime augmentandam et ita dulcissimum Regnum SS-mi Cordis Iesu quam maxime extendendum, ubi enim Tu intras ibi gratiam conversionis et sanctificationis impetras; per Tuas enim manus omnes ad nos gratiae ex Corde SS-mo Iesu perveniunt.

Dignare me laudare Te, Virgo Sacrata,
Da mihi virtutem contra hostes Tuos.

PRAECIPUAE INDULG. A SEDE APOST. M. I. PARTITAE:

Pro omnibus sodalibus Consociationis.

I. Indulgentia plenaria lucranda:

1) ab iis qui sodalitati inscribuntur, die primo ingressus; si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint;

gii Seraphici Fratrum Minorum Conventualium Romae, constitutamque stabilimus".

Quatuor annis post, Pontifex Maximus Pius XI Brevi die 18 m. Decembris, A. D. 1926 dato multis indulgentiis Milit. Immac. donavit; alio Brevi die 23 m. Augusti A. D. 1927 dato ad dignitatem Primariae eam promovit, ut alii Mil. Immac. foci in variis regionibus constituti indulgentiarum participes fierent.

P. Maximilianus M-a Kolbe

---

2) in mortis articulo, acquirenda a singulis sodalibus, qui vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id agere nequiverint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint et mortem tamquam peccati stipendium patienter susceperint;

3) in festo Immaculatae Conceptionis B. V. M. si confessi ac Sacra Communione refecti propriam Unionis ecclesiam sive sacellum, si extet, secus publicum quodvis templum visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haereseum exstirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant;

4) semel in mense, die ad cuiusque libitum eligendo conditionibus sub nr. 3 expletis.

II. Indulgentia partialis a singulis consociatis saltem corde contrito lucranda:

1) 300 dierum, quotidie quamlibet ex invocationibus quae sequuntur recitantibus:

a) „O Maria sine labe concepta, ora pro nobis, qui ad Te recurrimus et pro omnibus, qui ad Te non recurrunt, et praesertim pro massonibus et commendatis Tibi".

b) „Dignare me laudare Te, Virgo Sacrata, da mihi virtutem contra hostes Tuos".

2) Illis vero sodalibus, qui a Consociationis Moderatore benedictum numisma accipientes Virginem Beatissimam oratiuncula „Salve Virgo Immaculata" contrito saltem corde salutaverint, 100 dierum Indulgentiam, semel in die lucrandam, concedimus.

3) 100 dierum, pro quolibet zeli actu in salutem animarum, iuxta sodalitatis fines et praesertim ad massonum conversionem obtinendam, peracto.

De verae devotionis erga Beatissimam Virginem proprietatibus

II

Devotio sancta

Vera devotio erga Deiparam sancta est.

Principium nostrae pietatis et devotionis erga Dei Genitricem est amor, qui in omni prorsus peccatorum evitatione, atque in vita virtutum plena, quarum Beatissima Virgo exemplar existit, fundatur.

Evitatio peccatorum

Sanctitas consistit in amore, cuius essentia est voluntatem amantis adaptare voluntati amati, ut sit: unum velle, unum nolle. Pec-

catum autem est aliquid contrarium voluntati Iesu Christi, inde et voluntati Mariae, quae Domino Iesu arctissime congruit.

Verus Mariae cultor sincere promittit saltem peccata mortalia vitare; et tempore tentationis, ne peccet, firmiter obsistit. Verus Matris Dei cultor tota sua voluntate avertit se a peccato, abhorret ab eo, odio illud prosequitur utpote maximum malum, quod Deum offendit, Matrem Dei dolore afficit et animam gratia sanctificante, virtutibus infusis necnon donis Spiritus Sancti, omnibus meritis et iure beatitudinis coelestis privat.

Principale fundamentum devotionis erga Deiparam Virginem est interna abominatio peccati, sine qua omne fundamentum et consequenter ipsamet devotio in tali fundamento innixa debilis et apparens erit, quia Mater Dei non potest praestitam sibi pietatem, quae peccatum non excludit, cum complacentia accipere.

De imitatione Beatae Mariae Virginis

Imitari aliquem dilectum, seu assimilare se alicui est infallibile signum et argumentum amoris.

Hoc adeo clarum est, ut non indigeat probatione, naturale enim amoris est: amato se dare, ei assimilari, identificari.

Verus Mariae amator Matrem suam amabilem in omnibus imitari conatur, ut: in humilitate, oboedientia, oratione, mortificatione, castitate, patientia, dulcedine.

Sanctitas devotionis erga Dei Genitricem devotioni prorsus praefidentium et hypocritarum adversatur. Quia tam praefidentes quam hypocritae peccatis incestus, ignaviae, irae, invidiae se dant simul ac aliquam piam perficiunt praxim quasi in honorem Sanctissimae Virginis; videlicet cotidie rosarium B. M. V. recitant, unoquoque sabbato pane aquaque ieiunant et praeterea queruntur quod Sancta Ecclesia nonnulla festa Beatae Mariae Virginis suppressit. Nihil magis foedum quam talis perversa notio devotionis erga Virginem Immaculatam.

Differentia inter praefidentes et hypocritas haec intercedit: praefidentes peccando confidunt Mariam deprecatione sua eos in coelum suscepturam esse, quia illi cotidie in Eius honorem coronam precatoriam recitant et alia „bona opera" perficiunt.

Fiducia haec praefidens peccatum est contra primum Decalogi praeceptum. Accidit enim in hoc casu tentatio Dei, ut miraculum faciat, in quo continetur contradictio, – quia ille praefidens cultor Mariae in affectu peccati mortalis perseverare vult atque etiam a Deo salvari.

Hypocritae autem non interest ut Beatissima Virgo laudetur neque sua refert ut salvetur, sed tantum, ut ipse laudetur ab hominibus. Et facit quaedam pia exercitia, ut ab hominibus videatur et pius ab eis habeatur. Sicut omnis mendax, ita et hypocrita ad alia peccata novum addit peccatum contra octavum praeceptum Decalogi i. e. – hypocrisim. Sicut praefidens ita etiam hypocrita homo nequam, ingenio malo pravoque est, Deo Eiusque Matri abominabilis. Uterque differt a simplici peccatore quia ambo affectum peccati habent et nullam operam dant, ut ad Deum convertantur, cum autem simplex peccator, etsi commisit peccatum, vult tamen ab eo averti, attamen non audet peccatum detestari.

Devotio magnanima

Vera devotio erga B. Virginem magnanima esse debet. Magnitudo illa animi in perfecta caritate consistit, quae omnia nostra exercitia pietatis erga Matrem Dei dirigit.

Magnanimitas tamen illa non excludit actus spe elicitos. Possumus, immo debemus expectare pretium nostrae fidelis servitutis B. Virginis. Nostrae precationes, gemitus orationesque instantibus tentationibus, periculis et necessitatibus cum temporalibus tum spiritualibus praesentatae Mediatrici hominum ea intentione ut nos adiuvet et servet, sunt Ei gratae laetitiamque Ei afferunt. Illa enim amat nos, toto animo suo intendit nostrum bonum et semper aliquod beneficium nobis praestare quaerit.

Magnanimitas devotionis erga B. Virginem excludit tantum egoisticam calliditatem. Adsunt enim, qui unice ideo ad Mariam confugiunt, ut causam obtineant, periculum aliquod evitent, e morbo convalescant et sic de ceteris. Secus B. .Virginis immemores essent. O, falsi sunt hi cultores, ingrati Deo et Sanctissimae Eius Matri.

Verus cultor non servit Dei Genitrici unice ob proprium lucrum quaestumque, immo nec etiam ob aliquod bonum temporale spiritualeve, sed eo quod maxime decet Ei servire et per Eam Deo. Ille non amat Mariam ob beneficium aliquod acceptum vel speratum sed quia Ipsa Mater Dei, Immaculata, plena gratia et sanctissima digna est nostra maxima caritate; ideoque amat Eam eodem modo tempore tribulationis, molestiae et tepiditatis sicuti tempore gaudii spiritualis et fervidae devotionis. Amat Eam eadem caritate in Calvaria sicuti in Coena Galilaeae.

Pergratus dilectissimusque Deo et B. Virgini est, qui non seipsum, sed Mariam in exercitiis ad Eius gloriam peractis quaerit.

Aliquando plexit S. Teresia a Iesu Infante coronam e floribus ad statuam B. Virginis ornandam. Indicans hanc dixit ad eam una sororum: „Putas fortasse coronam istam tibi destinatam esse?" Nequaquam, respondit Sancta, Sanctissima Virgo faciet cum ea quid voluerit. Sed, quod offero, est tantum ad Eius gloriam.

P. Georgius

Quemadmodum Immaculata Virgo

ad animos catholicorum conformandos valeat

Res porro tractatur

Itaque, ut iam postremo dictum est, si hominem vere Christianum educare volumus, necesse est nos simul ei vias et rationes indicare, quas inire debet, ut perfectus vir fieri possit. Hominem cum conformamus et instruimus, eidem magna mysteria manifesta facimus et his mysteriis ostendendis atque explicandis instruimus eum. Quam ob rem doctrina Ecclesiae Catholicae a Deo revelata, quae in Scriptura Sacra invenitur, est sacrosancta Divina paedagogia, qua omnes homines imbui debent. Aperiamus igitur Scripturam Sacram et statim inveniemus in hoc libro illa Divina praecepta, secundum quae si homines educaverimus, haud dubie universum humanum genus et hic in terra et postea in coelis summa felicitate afficietur. Atqui regulam Divina sapientia insignem, certam, dilucidam tradidit nobis hominibus Sum-

mus Magister Dominus noster Iesus Christus, cum dixisset ad Pharisaeos, viros fallaces et occultos, tentantes eum, ut pronuntiaret, num fas esset tributa imperatori Romano pendere: „Reddite ergo, quae sunt Caesaris - Caesari – et quae sunt Dei – Deo!" Si supponimus hac voce – „Caesarem" societatem humanam significari, cuius Caesar tum caput fuit, iam videmus homini in hac terra vitam agenti officia utriusque generis praestanda esse. Primum genus – Deo omnium rerum Creatori debetur, alterum – societatem totius humani generis attinet, cuius particeps est unusquisque homo. Hoc gravissimum praeceptum, quo homines instrui atque institui debent, diligentius et clarius expressum est illo responso ab Ipso Iesu Christo dato illi Scripturae Sacrae perito, qui cum ex Christo praecepta certissima salutis aeternae quaereret, haec interrogavit: „Magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? – „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum" (Luc. 10, 27). Perfectissimum autem et summum exemplum tradidit nobis omnibus imitandum Iesus, cum diceret iuveni quaerenti, quidnam sibi faciendum esset, ut summam virtutem Dei nancisceretur: „Vade, vende, quae habes... sequere me" (Mat. 19, 21). En sunt haec praecepta paedagogica ab Iesu Christo hominibus tradita, quae rebus et factis confirmata vere ad summum Bonum et Felicitatem consequendam conferent. Quas autem partes in homine vere Christiano informando Immaculata agit, quae est Mater summi nostri Cultoris et Magistri omnium hominum eorumque animorum praecipuo singularique modo. Immo vero agit partes easque gravissimas. „Et Mater Eius conservabat verba haec in corde suo". Quis potest melius profundiusque naturam et auctoritatem Scripturae Sacrae intelligere, quam Ea, „cuius viscera portaverunt aeterni Patris Filium et ubera lactaverunt Christum Dominum"? Illa Immaculata est haec sanctissima Magistra, quae praecepta Iesu Christi ab Illo in Scriptura Sacra tradita rectissime usui cotidiano adaptare scit, quoniam Ipsa haec omnia praecepta cum Filio Suo in vita agendo confirmavit. Quam ob rem appellamus Eam quoque „Speculum iustitiae", quoniam unusquisque nostrum suos mores cum Eius sanctissimis moribus conferre et tamquam in speculo omnia sua vitia et peccata perlustrare atque conspicere potest.

„Reddite, quae sunt Dei – Deo". Redditus – tributum – census – haec sunt vocabula sui similia. Homo enim debet suo Creatori et Domino tributa conferre. Quodnam est igitur hoc tributum atque eius natura? Quid est hoc numisma census, quod Domino Meo conferre debeo? „Nunc autem manent – inquit Apostolus gentium – fides, spes, caritas – tria haec".

Fides est conversio mentis ad Deum. Deum esse credere id est suam mentem summae Dei auctoritati subiungere Eique omnibus in partibus parere. Unusquisque homo debet suam exiguam rationem summae et perfectae Rationi Divinae subiungere, approbare ea, quae naturali rationis lumine intellegi non possunt, quaeque Deus sua auctoritate confirmavit hominibusque ad credendum per Ecclesiam sanctam tradidit. Quam difficile et molestum est superbo et elato homini has omnes veritates a Deo revelatas adprobare atque animo alacri accipere! Namque plurimi homines magno elatoque animo omni fere aetate maluerunt potius suae menti et auctoritati humanae quam Divinae

indulgere atque obtemperare. His temporibus res non secus atque antea se habent. Pro Christo auctore religionis vivo et vero sunt, qui cupiant idola a se ipsis efficta ponere. Et quisnam potest esse melior vivae fidei praeceptor homini multis erroribus obnoxio? Sanctissima Magistra fidei – haec est Immaculata Dei Mater! Etiamsi Immaculata, sine labe peccati concepta, tamen humana natura non caret et anima Eius libera etiam a fomite peccati, tamen humana est. Itaque et Ea Immaculata non aliter Deum colit adoratque nisi credens omnia esse vera, quae Deus ad credendum tradidit. Fides ex auditu – ita quoque haec virtus definitur. Quae cum ita sint orationes religiosas magistrorum et prophetarum libentissime audit. Quam ob rem pariter Sacram Scripturam animo alacri legit. Ut memoriae mandatum est Mariam pueriles Suae vitae annos ad templum Hierosolymae consumpsisse, ubi in templo Deo serviebat. Imo suo castissimo corde unum Deum esse, mundi et coelorum Creatorem, Maria firmissime credebat et nulla re hac fide privari potuit. Attamen et Ea affecta et tentata dubitationibus erat, quas explicare et suo animo depellere studuit. Itaque magnus nuntius Ei ab Archangelo allatus est Illam Matrem Filii Dei futuram esse, qui „regnabit in domo Iacob et regni Eius finis non erit". Maria non dubitat de hac re, nam credit Deo, qui suum nuntium misit, sed non potest intelligere Dei mandatum, nam coram Deo votum servandae castitatis fecerat. Tum vero interrogat, quaerit causam illius mysterii. Et dixit deinde Archangelo: „Et quomodo hoc fieri potest, si virum non habeo"? (Luc. 1).

Itaque est Immaculata unicuique homini omnis temporis et imprimis homini contemporaneo magistra fidei simulque speculum, in quo anima humana perspici potest, ut corrigat ea vitia, quibus implicata est. Namque hominibus hoc tempore viventibus tam valde hac thorace fidei opus est, quae in doctrina Christiana posita est. Nam his temporibus bellum acerrimum non solum pro rebus fidei minoris momenti geritur, sed pro ipsis fundamentis religionis et fidei, quibus universa Christianorum vita supernaturalis consistit. Quae cum ita sint Christiani in aciem exire debent atque in aperto campo omnibus inimicis resistere neque intra moenia aequo animo stare. Debet igitur anima Christiana fide viva et firmissima instructa atque imbuta esse. Hanc fidem praestare ei potest Immaculata Virgo. – Haec „Magistra fidei et speculum".

Alterum munus, quo homo debet Deo satisfacere et remunerare, spes est. In spe enim homo suam voluntatem Deo reddit. Voluntas enim hominum peccato hereditario labefactata et debilitata vitiis actualibus nutat et haeret tamquam folium ventis actum. Per totam vitam homo tum Dei similior fit, tum ab Eo se avertit et quasi pronuntiet ista verba versuti Angeli: „Non serviam Tibi Domine!" Sollicitudine, tristitia, metu et aliis huius generis affectibus saepissime unusquisque homo afficitur. Existit tamen quoddam stabile et solidum, id est Deus, cuius in virtute omnis spes hominum residere potest et debet. „Inquietum est cor hominis, donec requiescat in Domino". Fides est munus, quod a nobis Deo datur, sed est etiam beneficium Dei homini a Deo oblatum, quoniam Deus hominibus dat in hoc munere certissimam regulam bene recteque vivendi. Quapropter tantummodo homines rationis expertes nolunt hoc munus accipere, et contemnunt hanc

regulam, quae est vera, firmissima atque a Deo revelata. Etiam hac in re se praestat nobis Immaculata summum exemplar et magistram spei in vita nostra. Tota enim Eius vita in spe coram Deo posita erat, hoc solidissimo fundamento. Nam etsi Immaculata, tamen in hac vita terrestri cum laboribus et doloribus, tum solaciis et gaudiis subiecta erat ut etiam unusquisque nostrum. Plures tamen dolores quam laetitias pati debuit, quandoquidem Eam „Matrem dolorosam" appellamus et colimus. A quo et ubinam Immaculata solacium et auxilium gravibus momentis suae vitae quaesiverat? A quo auxilium et refugium petebat, cum Ipsa et Suus Filius a perditissimis et improbis hominibus opprimerentur, cum perdidisset Iesum in templo et postremo cum staret sub cruce? Itaque arctius Iesum suum carissimum Dei Filium animo amplexa est et ab Illo refugium periculis undique Ei imminentibus quaesivit. In supplici prece animam suam ad Deum erigebat et ab Eo sustentata erat. Ut vero Immaculata Mater Dei est animis hominum „ magistra fidei", „ita etiam se praebet „magistram spei", quae est altera fundamentalis virtus, qua homo mutuam Deo gratiam referre debet. Sed homines contemporanei potius in aliis rebus suam spem ponunt. Aurum et chalybem putant homines firmiora fundamenta esse vitae constituendae quam legem Dei. Consuetudines ac familiaritates cum potentibus contractae eorumque opes pecuniaque pluris ab hominibus aestimantur quam gratia et auxilium Dei Omnipotentis. Propterea nunc homines iacent controversiis et odiis varii generis distracti atque se erigere non possunt. Homines hoc tempore vitam agentes similes sunt isti Iudaeo, qui, cum oppidum, cui nomen est Iericho, peteret, a latronibus obsessus est, ab iis vulneribus affectus et paene semivivus in fossa ad viam sita derelictus est. Propterea igitur debemus animos eorum, qui nobis commissi sunt, dirigere et adpropinquare Ei, quae est „magistra vitae", quaeque in sua vita terrestri omnem spem in Deo posuit.

Caritas. Id est tertium genus officii et tributi, quod Deo homines referre debent. Quae comparari potest cum pulcherrimo nummulo ex auro puro confecto, qui a nobis Deo debetur. Propterea Deus cor atque animum humanum creavit, ut ab eis diligeretur. Hominis enim est Deum ex toto corde suo vehementissime diligere et illa Dei caritate unusquisque Dei studiosus expletus esse debet.

Sed cuiusnam cor hominis plenius illa caritate corde Dei Matris Immaculatae erat? Et quaenam caritas subtilior et perfectior et castior quam Eius fuit? Itaque si catholicus vult quam ardentissime Deum amare et adorare, debet intueri et imitari caritatem Matris Dei Immaculatae, quae omni gratia et caritate Dei plena est.

Ex fide, spe et caritate adoratio oritur: „Magnificat anima mea Dominum et exsultavit Spiritus meus in Deo salutari meo". Itaque magnificentissimus hymnus adorationis ab Immaculata Dei Matre cantatus est.

Reddere quae sunt Dei – Deo – id est primum munus doctrinae christianae. Magistra autem et adiutrix hominum secundum Christi praecepta conformandorum est nostra Optima et Carissima Mater Dei, Immaculata.

P. Niezgoda

Mariae cultus, quatenus ad nostri temporis Polonorum mentes animosque conformandos valuerit

Polonia dilacerata et civitas ipsa prorsus eversa vires populi attriverant. Aggressores nihil scilicet omiserunt, quominus eas vires quam plurimum possent, debilitarent. Populus Polonus imperiorum, quae eius rem publicam dispertiverant, publicis atque commercii negotiis subiunctus minime oblivioni dabat, quantum id viros cultioris humanitatis spectat. se dispertitum nihilo minus unum corpus efficere. Inter plebem huius rei intellegentia ita debilis erat, ut prorsus exstingui videretur, nisi religioni innixa esset.



Annuntiatio B. M. V.

pinxit Antonius Sawiński

Admirabilis Mariae cultus, qui inde a remotissimis saeculis cum celebribus in Polonorum historia privilegiatis et indulgentiariis templis cohaerebat, tempore alieni imperii ea admirabilis vis erat, quae exitiosos direptionis, terrae et populi tripertitionis eventus leniebat. Plebis multitudo longe maxima populi Poloni pars est, Polonorum autem, qui negotiis agriculturae student, pars etiam nunc 75 de centenis (75%) attingit, tempore autem alieni iuris, cum officinarum industria vix nasceretur et urbes multo tardius, quam in libera huius temporis Polonia, augerentur, hanc etiam rationem superabat. Atque huic praeponderanti maioritati Mariae cultus princeps fundamentum et propria vis erat, quae populi unitatem sustentabat. Supra raptorum thronos dominabatur in populum Piissima Deipara. In eius cultus splendore limites imperiorum rapacium non cernebantur, populus in unam familiam coalescebat. Atque regni divisores hanc in Polonia Mariae cultus vim iusto pretio aestimabant. Non facile igitur eis erat, ut huius pietatis a maioribus traditae auctoritati se opponerent.

Austria catholica ipsa re monente obsistere nequibat, Russia, quae — quamquam schismatica, at ad pedes Deiparae procumbebat — item aperte intercedere non poterat. Solum protestans, rationi confisa et re vera pagana Prussia severissime peregrinationes ad sancta loca prohibebat et in Poloniae a se

abrepta parte ad inclytos Marianos locos aditum recludebat, ex. gr. ad Montem Sacrum (Święta Góra) ad Gostyń, qui in Polonia Maiore in eodem honoris loco habetur, ac Częstochovia. Russici regiminis actio, ecclesiae catholicae et nationi Polonorum inimica, vehementius in finibus prioris Reipublicae Polonae saeviebat, ubi in claris locis cultus Mariae prohibebatur et aedes catholicae in usum schismaticorum convertebantur.

In medio praecipui Mariae cultus in terris a Russis olim abreptis erant: Częstochovia et Porta Fastigata (Ostra Brama) in Wilno. In regionibus Austriae addictis similem locum obtinebant: Cracovia, Calvaria Zebrzydoviensis et Premisliensis (Przemyśl), Przeworsk, Sokal, Leżajsk, Leopolis (Lwów), Jarosław et Podkamień. Ut in aliis civitatibus catholicis, ita etiam in Polonia aliorum Mariae cultus locorum in proxima solum regione auctoritas valebat, alia totius populi animos sibi adstrictos tenebant. Ita ex. gr. in Hispania permulta sunt loca indulgentiaria cum Mariae cultu conexa, iam non aliquoties dena, sed ultra centum; at princeps locus, qui universum Hispanorum populum — non solum e paeninsula Hiberorum, sed etiam ex America Latina — in unum congregat, est cathedra in Saragossa, ubi Beata Virgo Maria in imagine „del Pilar" dicta Patrona et Regina populi Hispanorum colitur.





Regina Regni Poloniae. *Annuntiatio B.M.V.*
caelavit Sophia Trzcińska-Kamińska

Simili modo in Polonia in ipso Mariae cultus medio ex iudicio totius populi Clarus Mons (Jasna Góra) in Częstochovia collocatur, qui anno 1655 tempore Suedicae obsidionis mirabili defensione illuxit et Reginae Poloniae sedes habetur. Coram Claro Monte nihil valebant imperiorum fines, nihil finium custodes. Unoquoque anno multa huc peregrinantium milia ex omnibus Poloniae tribubus gressus suos tendebant. In Polonia Minore, quae Austriae imperio succubuerat, maximam auctoritatem habuit Calvaria Zebrzydoviensis, quae non solum Polonorum peregrinantes multitudines excipiebat, sed etiam aliarum Slavicarum gentium, quae Austriaci olim imperii partes incolebant. Mater Divina e Calvaria erat vera „Virgo Slavica", ad cuius pedes Poloni, Slovaci, Bohemi, Rutheni, immo etiam Chorvatae se applicabant. Singularis atque extraordinarius Deiparae in Polonia cultus totam populi multitudinem protestanti Prussiae et schismaticae Russiae opponebat et eam ipsam ob rem

aggressorum conatus, ut Polonis nationalem spiritum eriperent, irritos dabat. Opinio et nomen catholici idem valebant atque nomen Poloni.

In animo plebis Mariae cultus singulari vi vigebat et praeclaram memoriam tradidit. Tempore belli Suedici (annis 1655 — 57) plebs — ceterum sicut ubicumque alibi — a possidentibus oppressa, at sua ipsius sponte ad arma concurrit, simulatque Reginae Poloniae sedem in Częstochovia a Suedis obsideri per Poloniam fama pervagata est. Eandem vim eundemque promptum animum ad pericula subeunda populus Polonus tempore libertatis amissae exhibebat.

Auctoritas Częstochoviae, ut principalis Mariani cultus in terris Poloniae loci, libertate recuperata magis magisque crescebat — inde ab eo praesertim tempore, postquam Clarus Mons electus est, ubi religionis atque rei publicae amor manifestaretur, cum memoria illius cum bolcevistarum eluvie (mense Augusto 1920) pugnae repeteretur, ex qua mirabilem in modum res publica Polonorum salva evaserat, deinde cum festum Reginae Poloniae — anno 1924 decretum — publice celebraretur.

Ut cathedra „del Pilar" in Saragossa omnes Hispanos congregat, ita mirabilis Mater Dei in Częstochovia est Domina, Regina et Mater totius populi Poloni. Ubicumque sermo Polonus auditur, ubicumque Poloniae amore corda palpitant, ibi semper Divinae Matris e Częstochovia imago invenitur. Piae iam consuetudinis est, ut quaelibet societates aut congregationes, quae animum nationalem, religiosum et socialem, aut etiam eiusdem negotii colendum sibi proposuerunt, anno post annum in Clarum Montem ad pedes Caelestis populi Imperatricis properent, ut Eius benedictionem percipiant. Eodem quoque Poloni ex exteris — quin etiam transmarinis — terris cursum vertunt.

Pergravis momenti erat peregrinatio in Clarum Montem iuventutis academicae die 24 Mai 1936, quo iuvenes voverant se Matrem Divinam Częstochovianam „Sedem sapientiae" Patronam sibi et Ductricem assumere. Hanc 20.000 academicorum peregrinationem participabant praeterea supra centum milia fidelium.

„Magna Dei-Hominis Mater, Beatissima Virgo — en voti sententia — nos iuvenes academici e tota Polonia huc affluxi pristinae maiorum nostrorum pietatis heredes legitimi ad pedes Tuos beatos procumbimus et Te, Matrem Dei et Poloniae Reginam, in sempiterna tempora iuventutis academicae Matrem et Patronam eligimus et omnes academias atque universam Poloniam Tuae potenti tutelae commendamus. Promittimus atque vovemus nos nostram fidem defendere et vitam nostram, nostrarum familiarum, societatis, nationis et rei publicae ad eius praecepta accommodare velle. Promittimus atque vovemus nos Tuum honorem et pietatem erga Te summa opera propagaturos esse".

Spectabilis haec religiosa 20.000 iuvenum academicorum, floris et spei populi, in Claro Monte manifestatio admirationem nobis inicit et perspicue probat Mariae in Polonia cultum vividum, pandi capacissimum, fortem esse et priorum saeculorum memoriae innixum in restaurata et libera Polonia pleno flore vigere.

Regionum Poloniae, quae inter septentriones et orientem iacent, medius locus, unde Mariae cultus originem et spiritum ducit, est miraculis clara Beatissimae Mariae Virginis imago in Porta Fastigata (Ostra Brama) in Wilno, in orientis autem finibus Kodeń cum mirabili Divinae Matris imagine, quae ad similitudinem imaginis Deiparae e claustro Hispaniensi in Guadelupa picta est. In Pomerellia (Pomorze) ad maris Baltici oram vigilat Sacratissima Virgo Maria in Swarzewo, Stella polonici maris, Patrona Cassubitarum. Princeps Marianarum peregrinationum in Polonia Maiore locus est recuperatum in Sacro Monte ad Gostyń claustrum. In ea parte Poloniae, quae

inter meridiem et orientem sita est. singulari pietate Calvaria in Pacław colitur. Haec fere sunt notissima per totam civitatem loca. quae in medio cultu Mariano ponuntur. Aliorum locorum. quorum fama proximas regiones non excedit. numerus non minor est, quam in Hispania. nempe circa 1.200.

Beatissimae Virginis cultus omnibus populis communis est, quo fit, ut etiam eius forma omnibus communis sit. Ab aliis tamen gentibus aliae praesertim cultus formae praeferuntur, quae eo modo proprio quodam regionali et nationali colore imbuuntur. Adventus scilicet ut tempus Stellae Matutinae. mensis October ut mensis Rosarii et mensis Maius, qui praecipuo Mariae cultu splendet, sunt anni partes, quando templa fidelibus repleta sunt. qui ad aras festinant. Tempore Adventus missae „Rorate coeli". ad quas in altari magna candela inflammatur. quae Stellam Matutinam solem antecedentem praefigurat, imprimis Cracoviae memorabilem traditionem habent, ubi Sigismundus I. rex e familia Jagiellonorum (XVI saeculo) in capella Assumptionis Beatae Mariae Virginis in cathedra Vavelensi (in regia arce) „rorantistas" ita dictos fundaverat, id est sacerdotes. quibus impositum erat, ut cotidie horis matutinis missam de B. Maria Virgine legerent. Magnifica B. Mariae Virginis aedes gotico ritu constructa. quae magno triptycho a Vit Stwosz (XV saec.) confecto (vide pag. 96.), quod Deiparae devotum est, et „Litania Lorettana" auctore Jan Matejko. quae internae polychromiae pars est. ornata est et iuste his artis operibus gloriatur. tempore Adventus magnas fidelium turbas attrahit. Rosarii processiones mense Octobri praecipua solemnitate Cracoviae celebrantur. Processiones hae cum memoria victoriae apud Chocim cohaerent. per quam Polonia e Turcarum eluvie anno 1621 erepta est et in aliquoties denos annos Turcarum arma et potentiam a suis finibus arcuerat.



(phot. Ulatowski)

B. M. Virgo Domina herbarum pinxit Roguski

Eundem Mariae cultum in nostri temporis Polonia conventiones et congressus Mariani in Poloniae urbibus manifestum faciunt. Magnus erat congressus Marianus anno 1927 in Wilno, cum miraculis clara Divinae Matris in Porta Fastigata (Ostra Brama) imago coronaretur, similis item congressus Cracoviae celebratus est in 1.500 Ephesini concilii anniversario. Electissimus congressuum locus est Wilno ubi unoquoque paene biennio totius Poloniae congressus Mariani habentur. Congressuum praeparandorum curam gerit in Wilno ita dictum „Marianum", recentioris temporis institutum, quod cultui Mariae propagando praecipuam operam praestat. Inde a paucis annis sub auspiciis Exc. Metropolitae Romualdi Jałbrzykowski „Marianum" labores adiit erigendae Academiae Marianae in Wilno ad exemplar similis Academiae Leridanae (in Hispania), quae litterarum, doctrinae et artium viros Mariae servitium ingredi cupientes sibi adiungeret.

E congregationibus et confraternitatibus Mariae enumerare liceat: Ordinem s. Francisci, qui inter alia opera etiam de cultu Mariae in nova Polonia renascente non mediocriter meritus est. Inter alios cultus Mariae ad exemplum Apostolorum propagandi locos est Niepokalanów (quod explicari potest: Immaculateum, Pagus Immaculatae) haud procul a Varsovia, locus a Fr.Fr. Min. S. Francisci Conv. conditus. Ibi scriptura diurna: „Nuntius Brevis" (Mały Dziennik) dictus, item libelli mensuarii: „Miles Immaculatae", „Miles Parvulus" (in lingua polonica) et „Miles Immaculatae" (in lingua latina) in lucem prodeunt. „Militem Immaculatae" ad Mariae cultum inter innumerabilem populi multitudinem propagandum plurimum valere pro re certa nuncupari potest. Rem hanc administrandam Societas Militiae Immaculatae curat, cui impositum est id niti, „ut peccatores, haeretici, schismatici et imprimis massonistae ita dicti convertantur atque in tutela Immaculatae Ea Ipsa intercedente sanciantur". Hoc anno currente Militiae Immaculatae circa 1.000.000 animarum in toto orbe terrarum adnumerantur; res, quae Militiam attinent, in „Milite Immaculatae" unoquoque mense communicantur. Militia a Sede Apostolica die 2 Januarii 1922 approbata est.

Saletini in Polonia Minore, PP. Ord. Praedicatorum, Missionarii, PP. Congregationis SS. Redemptoris, Philippini, PP. S. Francisci Observ. rebus cum Mariae cultu cohaerentibus non mediocrem curam dant. E multis conventibus congregationibusque femineis, quae idem servitium sibi elegerunt, nominandae sunt praesertim Sorores Immaculatae Conceptionis, conventus in secundo XIX saeculi dimidio conditus, qui puellarum animos sibi conformandos proposuerat. Alii conventus congregationesque feminarum (sicut: Ancillae Mariae, Ancillae Immaculati Cordis Mariae, Ancillae Sacrae Familiae) vel in puellas educando vel in rebus caritatis versantur.

Sodalitates Marianae, quae in Polonia inde a vergente XVI saeculo originem ducunt, viros eruditiores, homines urbanorum negotiorum, ordines fabrorum, iuventutem scholarum et universitatum sibi adiungunt. Sodalitates hae a Collegio PP. Soc. Jesu diriguntur, a quibus etiam commentarius: „Sodalis Marianus" singulorum mensium intervallo editur.


Libelli Mariani, qui certo temporis spatio continuantur, plerumque a societatibus et sodalitatibus unoquoque mense eduntur. Primum inter eos locum — quod ad penetrandi indolem, auctoritatem et exemplariorum impressorum numerum spectat — notus iam nobis „Miles Immaculatae" obtinet, qui a Militia Immaculatae in lucem editur. Menstruus commenta-

rius: „Sodalis Marianus“ viris eruditioribus atque iuventuti servit. Aliae editiones menstruae, ut „Circulus Rosarii“, „Vexillum Mariae“ et ceterarum copia suarum cuiusque loci societatum res proprias tangunt.

Ex institutis librariis, quae libris cultum Mariae spectantibus operam navant, in primis enumeranda est officina Societatis Jesu, quae magnum numerum operum ex alienis praecipue linguis traductorum usui admovit, tum PP. Ord. Praedicatorum Leopoli, Bibliotheca religiosa Leopoli, PP. Philippinorum in Sacro Monte et Librarium s. Adalberti Posnaniae (Poznań) denique „Librarium catholicum“ item Posnaniae.

In libris scientificis, qui cultum Mariae tangunt, enumerandi sunt libri historico — theologici auctoris P. K Żukiewicz O. P., item libri in historiam, cultum et iconographiam Mariae in Polonia inquirentes a dr. M. Skrudlik, claro Russici viri docti Kondakow discipulo, conscripti. In arte religioso — ecclesiastica Mariae cultus praecipua vi et candore in operibus Josephi Mehoffer oculis obicitur, qui cathedrae Friburgiensis (in Helvetia) a se ornatae illustri gloria in toto orbe floret. Novissimis annis ecclesiae parochialis in Turek muri et fenestrae ab eodem artifice picturis ornatae cultum Mariae in Polonia — quod ad nationalem artem pertinet — pulcherrime manifestant. Eundem ac Mehoffer in pictura locum Sophia Trzcińska — Kamińska in sculpendi arte obtinet, cuius plura sunt opera honorem Beatissimae Virginis spirantia, e spiritu profundae fidei et pietatis enata et summae artis notam prae se ferentia.

Artifex magni animi, cui res cum Mariae cultu conexae gravioris momenti videntur, est iunioris aetatis pictor Jan Zamojski. Pulchrum huius temporis artis ecclesiasticae monumentum, quae cultum Marianum sibi celebrandum proposuit, est polychromia ecclesiae militaris in Lublin, auctoribus Plich et Cegielski, qui hanc artem apud prof. Carolum Frycz discebant. Pictoribus vere Marianis adnumerandi sunt item Gawiński (Varsoviae) et Roguski (Posnaniae). E sculptoribus Cracoviae in frontem Marianorum artificum prodiit Karol Hukan, cui ecclesia PP. Soc. Jesu Cracoviae insignia artis decorativae opera debet.



(phot. Ulatowski)

Regina aëronautarum pinxit Roguski

Firmae fidei petrae innixus omnibus populi in Polonia partibus communis Mariae cultus magni momenti in populo educando est, socialibus motibus pro arce et propugnaculo stat, tum etiam apud artifices, rerum scriptores et theologos cerni datur.

Dr. Sri.

Aptissimae exhortationes Pii PP. XII ad clerum totius mundi

Die 24 Junii sollemnis a Summo Pontifice concessa est audientia moderatoribus et alumnis seminariorum collegiorumque ecclesiasticorum Romae. Tam magnum numerum doctorum in sacris disciplinis insignium necnon iuvenilem clerum conspiciens, Summus Pontifex maximas Deo gratias egit et his verbis prosecutus est:

Christus Dominus, ut omnibus compertum est. Apostolis dixit: „Vos estis lux mundi". Lux lucet, sol calefacit. Ecce igitur finis vester, ecce catholici sacerdotii assignatum propositum: solem esse supernaturalem qui hominum mentes veritate Christi illustret, eorumque animos inflammet amore Christi. Huic autem fini assignatoque proposito omnis etiam ad sacerdotium praeparatio ac conformatio respondeat oportet:

Si lux veritatis, quae ex Christo est, vos omnes fieri vultis, ipsi primum hac veritate illustrandi estis. Propterea in sacrarum disciplinarum studia incumbitis.

Si caritate Christi hominum animos informare cupitis, ipsi primum caritate illa incendi debetis. Cui quidem rei educatio vestra religiosa-ascetica inservit.

VERITATE CHRISTI ILLUSTRATI

Discrimine inter disciplinas principales et speciales statuto Summus Pontifex cohortatur tum professores tum alumnos ad philosophiae ac theologiae studia iuxta mentem Angelici Doctoris pertractanda.

Verum — ulterius dicit Summus Pontifex — ut pretiosis fructibus institutio vestra cumuletur, necesse est, dilectissimi juvenes, idque impense vos hortamur, ut doctrinae haustus quos studiorum cursus emetientes excipitis, non ad scholaria tantummodo specimina superanda dirigantur, sed ut potius quandam quasi formam animis vestris imprimant, quae sic permaneat, ut numquam elabatur, et ex qua, cum usus postulabit, quidquid qua voce qua scriptis ad catholicam veritatem propagandam hominesque ad Christum convectandos conducat, exprimere possitis.

Haec quae diximus, tum ad veritatem divinitus patefactam quod attinet valent, tum ad eius rationalia praemissa; ad principia scilicet philosophiae christianae sive illustranda sive defendenda. Relativismo illi, quem Decessor Noster im. memoriae Pius XI modernismo dogmatico exaequans et „impense reprobans" „modernismum moralem, iuridicum ac socialem" (Litt. Encycl. Ubi arcano, AAS. 14, 1922, p. 696) nuncupavit, — utpote qui supremam normam veri et falsi, boni et mali non iam immutabiles recti iustique leges agnoscat, sed singulorum hominum, civilium ordinum, reipublicae, generis mutabilem utilitatem statuere contendat — huic, dicimus, modernismo vos, impavido pectore, ut Evangelii praecones decet, veritates perfectas atque absolutissimas obiicere debetis, quae ex Deo natae sunt, unde primaria officia et iura singulorum, domestici convictus ac Civitatum necessario permanant, et sine quibus civilis societatis dignitas et felicitas consistere nequeunt. Quod sane egregie praestabitis, si veritates huiusmodi ita mentes vestras occupaverint, ut pro iisdem, sicut pro sanctae fidei mysteriis nullum laborem refugere, nulla incommoda recusare parati sitis.

Illud quoque curandum vobis est, ut veritatem ita proponatis quae recte intellegatur et gustetur, perspicuo semper nec unquam ambiguo sermone adhibito, vitatisque superfluis et noxiis mutationibus quae veritatis substantiam facile inficiunt. Hic semper mos, haec consuetudo fuit catholi-

cae Ecclesiae. Ad haec etiam illud S. Pauli quadrat, quod sc. „Jesus Christus... non fuit EST et NON, sed EST in eo fuit“ (2 Cor. 1, 19).

Quodsi ad veritatis divinitus datae et ad mysteriorum fidei catholicae ordinem respicimus, verum quidem est ingentes progressus in investigandis et utendis naturae viribus, multoque magis strepitum, quo cultura de rebus mere terrenis disseminatur, plurimorum mentes perturbasse, ita ut supernaturalia vix iam percipere possint; ast non minus verum est sollertes sacerdotes veritatibus fidei intime imbutos et Spiritu Dei repletos maiores hodie et mirabiliores successus, quam fortasse nunquam antea, in hominibus Christo lucrandis reportare. Ut tales et ipsi efficiamini sacerdotes, auctore et exemplo sancto Paulo, nihil antiquius vobis sit studio theologiae sive biblicae-positivae sive speculativae. Alte insideat menti vestrae a fidelibus hodie bonos animarum pastores et confessarios eruditos summo desiderio quaeri. Pio ergo fervore in studium theologiae moralis et iuris canonici incumbite! Etiam iuris canonici disciplina ad animarum salutem dirigitur et omnibus normis legibusque suis in id denique potissimumque tendit, ut homines gratia Dei sancti effecti vivant et moriantur.

Disciplinae historicae, quatenus in scholis tractantur, non tam in quaestionibus criticis et mere apologeticis haereant, quamvis hae quoque suum momentum habeant, sed potius semper id spectent, ut actuosam Ecclesiae vitam demonstrent: quantum videlicet Ecclesia laboraverit; quanta passa sit; quibus viis et quo felici exitu sui muneris mandato satisfecerit; quomodo caritatem opere expleverit; ubinam pericula lateant, quae florescenti Ecclesiae statui obstent; qua in conditione publicae rationes inter Ecclesiam et Civitates intercedentes se bene habuerint, in qua vero minus bene; quantum Ecclesia politicae potestati cedere possit, quibusnam autem in adiunctis immobilis stare debeat: maturum denique de Ecclesiae conditione iudicium et sincerum erga Ecclesiam amorem — ecce quae schola historiae ecclesiasticae in alumno praestare et fovere debet, ac praesertim in vobis, dilectissimi filii, qui hac in Urbe versamini, in qua antiqua monumenta, bibliothecae instructissimae, ac patentia studio et conquisitioni tabularia, Ecclesiae catholicae vitam per decurrentia saecula velut ob oculos ponunt.

Ne autem constantiam et virtutem vestram labefactari sinatis, cotidie, dilecti filii, quantum fieri potest, ex inexhaustis Sacrorum librorum fontibus, Novi praesertim Testamenti, genuinos Jesu Christi et Apostolorum spiritus haurite, qui semper in mentibus, in verbis, in operibusque vestris resplendeant. Indefessi estote in labore, vacationum etiam tempore, ut qui vobis praesunt, fidentes dicere possint: „Luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in caelis est“. (Matth. 5, 16).

CARITATE CHRISTI INCENSI

Divinae est vocationis vestrae ad Jesu Christi amorem et gratiam viam in hominum animis sternere. Ad quod quidem assequendum vos ipsos primum amore illo incendi necesse est. Christi autem amorem in vobis incendite per conjunctionem cum Christo in oratione et sacrificio.

Per conjunctionem, dicimus, in oratione: siquidem si a Nobis quaeritis, quodnam verbum initio Pontificatus Nostri ad Ecclesiae catholicae sacerdotes habeamus, respondemus: Orate, magis magisque et instantius orate!

Per conjunctionem vero in sacrificio: in Sacrificio Eucharistico. At non solum in eucharistico, sed una simul in sui ipsius quodammodo sacrificio. Nostis enim ex effectibus Ss. Eucharistiae unum esse, ut adstantibus et recipientibus robur ad sese veluti sacrificandum et abnegandum

conferat. Variae christianae asceseos formae quoad secundaria multa differentes quidem sint et maneant; earum tamen nulla viam ad Dei caritatem novit citra sacrificium etiam sui ipsius. Id enim Christus a suis sectatoribus expostulat, qui dixit: „Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me" (Luc. 9, 23); qui viam ad amorem Dei in observatione mandatorum divinorum esse expressis verbis definivit (Jo. 15, 10); qui denique — Apostolis suis potissimum — illam etiam mirabilem sententiam impertiit: „Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert" (Jo. 12, 24-25).

Sacerdotale munus singularia a vobis, ut ita dicamus, sacrificia requirit, inter quae praecipuum illud ac sui ipsius plenum sacrificium obsequii erga Christum per caelibatum. Probate vos ipsos! Et si qui deprehenderint se impares esse ad illum servandum, eos obsecramus ut a Seminario discedentes alio se conferant, ubi aetatem honeste ac fructuose transigant, quam non sine salutis aeternae discrimine et Ecclesiae dedecore in Sanctuario essent acturi. Eos vero qui in statu sacerdotali iam vivunt aut eum ingredi parati sunt, hortamur, ut se devoveant totos et animo magno. Cavete, ne in hac liberalitate ab innumeris fidelibus superemini, qui hodie pro Dei gloria et Jesu Christi fide durissima quaeque patienter ferunt; sed omnibus in hoc certamine exemplo vestro praelucete, vestroque labore devotioneque ipsis et omnibus divinam gratiam in vita et in morte procurate.

Porro „hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum" (1 Jo. 4, 21). Hanc in proximos caritatem Jesus Christus signum ac veluti tesseram cuiusvis christiani hominis declaravit (Jo. 13, 35), eademque multo magis catholici sacerdotis quasi insigne habenda est, quae ceteroquin a caritate in Deum dissociari nequit, ut aperte ostendit Paulus Apostolus, qui grandiloquo praeconio caritatem celebrans, Dei proximorumque amorem perbelle reciprocat (1 Cor. 13). Haec proximorum caritas limitum ignara ad omnes homines, linguas, nationes, genera sese porrigit. Jamvero, carissimi filii, optatissima et singulari opportunitate utamini, quam romana commoratio vobis praebet, huius caritatis exercendae erga tantam iuvenum multitudinem, qui licet ex diversissimis et maxime inter se dissitis nationibus, omnes tamen eiusdem sunt temporis, eiusdem fidei, eiusdem vocationis, eiusdem in Jesum Christum amoris, ac denique eiusdem omnino iuris in Ecclesia. Hac, dicimus, occasione utamini ad hanc fovendam caritatem, nec quidquam sive verbis sive re a vobis agatur, quod eam vel leviter laedat. Concertationes politicarum partium aliis relinquite; haec tractare vestrum non est. Vos communicate invicem quae apostolatum, curam animarum, conditionem Ecclesiae eiusque incrementa spectant et iuvare possunt.

Pius PP. XII ulterius declarat illam solam Ecclesiam, cuius caput Summus Pontifex est, esse Ecclesiam Christi, Ecclesiam caritatis; deinde hortatur congregatos, ut fiduciam filialem erga Apostolicam Sedem cum ipsorum fratribus toto orbe terrarum communicent. In mediis difficultatibus et aerumnis, quae ipsos in sacerdotali apostolatu quasi naturali necessitate comitabuntur, non tamen deerit consolatio divina, non deerit spes in illum „qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum".

In fine allocutionis Summus Pontifex convertitur ad suos auditores, dicens:

„Quapropter vobis, dilectissimi filii, ea graviter iteramus, quae beatissimus Paulus laetus ac securus de fructu laboris apostolici profitetur; „Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino".

Acta SS. Congregationum

Sacra Paenitentiaria Apostolica

Indulgentiae Apostolicae quas Summus Pontifex Pius PP. XII, die 11 martii 1939, benigne concessit christifidelibus, qui aliquod pietatis vel religionis obiectum, a se vel a sacerdote potestatem habente benedictum possident, ac peculiaribus imperatis condicionibus satisfecerint.

1. Quisquis saltem semel in hebdomada recitare consueverit coronam Dominicam, vel aliquam ex beatae Mariae Virginis, vel rosarium aut saltem eius tertiam partem, vel officium parvum eiusdem B. Mariae Virginis, vel saltem vesperas aut nocturnum cum laudibus officii defunctorum, vel psalmos paenitentiales aut graduales, consueverit saltem semel in hebdomada aliquod opus ex illis peragere quae sub appellatione „Operum misericordiae" agnoscuntur, vel Missae interesse, servatis conditionibus confessionis sacramentalis, sanctae Communionis et alicuius orationis ad mentem Summi Pontificis, lucrabitur *Indulgentiam plenariam* diebus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Ssmae Trinitatis, Corporis Domini eiusdemque Sacratissimi Cordis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis; Nativitatis S. Ioannis Baptistae; utriusque festi S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis; Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Matthiae atque Omnium Sanctorum.

Si quis vero ad sacramentalem confessionem ac ad sanctam Communionem minime accesserit, corde tamen contritus ad mentem Summi Pontificis aliquantisper precatus fuerit, singulis diebus supra recensitis *partialem septem annorum* lucrabitur *Indulgentiam.*

Insuper quisquis aliquod ex praedictis pietatis vel caritatis operibus expleverit, quoties id peregerit, *partialem trium annorum Indulgentiam* adipiscetur.

2. Sacerdotes, qui nullo legitimo impedimento detenti quotidie s. Missae sacrificium celebrare consueverint, *Indulgentiam plenariam* festis supra memoratis consequentur, additis sacramentali confessione et oratione ad mentem Summi Pontificis.

Quoties vero ipsi Sacrum litaverint, *partialem quinque annorum Indulgentiam* acquirent.

3. Qui recitationi divini officii tenetur, obligationi huic obtemperans, *plenariam Indulgentiam* iisdem recensitis lucrabitur, servatis pariter conditionibus confessionis sacramentalis, sacrae Communionis et orationis ad mentem Summi Pontificis.

Qui vero hoc peregerit saltem corde contrito, *partialem quinque annorum Indulgentiam* singulis vicibus adipiscetur.

4. Quisquis cum primo diluculo, tum meridiano tempore, tum sub vesperam, vel cum primum postea potuerit, orationem vulgo *Angelus Domini*, tempore autem paschali *Regina caeli* aut, has preces ignorans, quinquies *Ave Maria* recitaverit; itemque sub primam noctis horam psalmum *De profundis* vel, si eum nesciat, *Pater Noster* cum *Ave Maria* et *Requiem* recitaverit, *partialem quingentorum dierum Indulgentiam* consequetur.

5. Eamdem Indulgentiam acquiret qui quavis feria sexta de Passione et Morte D. N. Iesu Christi aliquantulum pie cogitaverit, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam devote recitaverit.

6. Qui suam conscientiam excusserit et peccata sua sincere detestatus fuerit cum proposito se emendandi, devoteque recitaverit semel *Pater Noster*, *Ave Maria* et *Gloria Patri* in honorem Ssmae Trinitatis, aut quinquies *Gloria Patri* in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi, *trecentorum dierum Indulgentiam* lucrabitur.

7. Quisquis pro agonizantibus oraverit, pro iis *Pater noster* cum *Ave Maria* saltem semel recitando, *partialem centum dierum Indulgentiam* adipiscetur.

8. Qui demum, in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit et, rite confessus ac sacra Synaxi refectus vel saltem contritus, Ssmum Iesu Nomen ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit et mortem de manu Domini, tamquam peccati stipendium, patienter susceperit, *plenariam Indulgentiam* consequetur.

Monita

1. Res aptae ad recipiendam benedictionem pro Indulgentiis Apostolicis lucrandis sunt tantummodo coronae, rosaria, cruces, crucifixi, parvae statuae, numismata, dummodo non sint ex stanno, plumbo, vitro conflato ac vacuo aliave simili materia, quae facile confringi vel consumi possit.

2. Imagines Sanctorum alios ne repraesentent quam rite canonizatos vel in probatis martyrologiis relatos.

3. Ut quis valeat Indulgentias Apostolicas lucrari, necesse est ut aliquam ex rebus benedictis ab Ipso Summo Pontifice vel a Sacerdote facultate praedito, super se deferat aut in domo sua decenter retineat.

4. Ex expressa Ssmi Domini Nostri declaratione, per Apostolicarum Indulgentiarum concessionem nullatenus derogatur Indulgentiis a Summis Pontificibus iam alias forte concessis pro precibus, piis exercitiis vel operibus recensitis.

DE PORTIUNCULAE INDULGENTIA

Apostolica Sedes, nostris praesertim temporibus, cum in concedendis Indulgentiis, tum in earum acquisitione faciliore reddenda, maiore cotidie assolet largitate uti.

Quam ad rem Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII, ad plenariam quod attinet Portiunculae Indulgentiam lucrandam, pro impensissima pietate Sua, hoc decernere dignatus est, ut scilicet, abrogato n. V Decreti „Ut septimi pleni" ab hoc Sacro Tribunali die x mensis Iulii a. MDCCCCXXIV editi, omnes Ecclesiae Cathedrales ac Paroeciales, ac praeterea aliae Ecclesiae aliaque Oratoria — pro quibus, in ampiioribus praesertim Paroeciis, ex prudenti locorum Ordinarii arbitrio, fidelium commodum id postulare videatur — a Sacra Paenitentiaria Apostolica, per supplicem libellum ab Ordinario commendatum, Portiunculae privilegium obtinere possint. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae die 1 Maii 1939.

Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali

De annua relatione ad Sacram Congregationem mittenda a sacerdotibus ritus orientalis curam animarum habentibus extra fines sui Patriarchatus, sub Iurisdictione Ordinarii alieni ritus.

DECRETUM

Cordi semper fuit S. Congregationi pro Ecclesia Orientali adsistentiae spirituali providere fidelium sibi concreditorum, non eorum tantum qui intra fines suorum Patriarchatuum degunt, sed eorum etiam qui, suapte voluntate vel necessitate aliqua compulsi, extra eosdem fines versantur, sub iurisdictione Ordinarii alius ritus. Hanc ob rem sacerdotibus huic adsistentiae addictis, saepius S. Congregatio multa commendavit, consilia dedit, quasdam obligationes imposuit. Inter haec voluit ut singuli hi sacerdotes quotannis relationem, ab ipsis subscriptam et ab Ordinario loci probatam, mitterent, qua de fidelibus et de ministerio in ipsorum bonum ab ipsis exercito quotannis referrent. Hic iuvat iterum memorare quae in decreto „Qua sollerti" diei 23 mensis Decembris anni 1929, et in Instructione diei 26 Septembris a. 1932 continentur: „in fine cuiusque anni, a die data in rescripto supputandi, tenetur quilibet sacerdos orientalis qui in praefatis regionibus degit, relationem scriptam mittere ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali de statu religioso suorum fidelium et de sacro ministerio adimpleto; hanc vero relationem exhibebit Ordinario loci, ut hic sua auctoritate eam scripto comprobet, opportune suas addens adnota-

tiones; ipseque Ordinarius eam ad Sacram Congregationem transmittet".

Quo vero facilius ac plenius huic obligationi a singulis sacerdotibus, quibus onus hoc incumbit, satisfieri possit, exemplar proponitur iuxta quod praedictae relationes erunt quotannis in posterum redigendae.

Sacra Congregatio Rituum

Normae servandae in construendis processibus ordinariis super causis historicis.

1. — Antequam Processus instituatur, Ordinarius, audito Fidei Promotore seu Fiscali, Commissionem instituat trium membrorum, quorum peritia circa historicas methodos et circa archivales investigationes omnino sit probata. His competit „in solidum" officium colligendi omnes fontes scriptos circa vitam, virtutes vel martyrium, antiquam famam sanctitatis vel martyrii, aut antiquum cultum Servi Dei.

2. — Si Servus Dei ad aliquam religiosam Familiam pertinuerit, duo Commissionis membra eidem religiosae Familiae extranei esse debent.

3. — Qui sunt membra Commissionis induci debent uti „testes ex officio" tum in Processum super perquisitione scriptorum, in quo scripta Servi Dei quae suis investigationibus ipsi invenerint deponent, tum in Processum super fama sanctitatis, virtutum vel martyrii et miraculorum. In hoc altero Processu iisdem erit enumerare ac describere singillatim quas ipsi peregerint investigationes. Praeterea sub sanctitate iuramenti declarare debent: 1° omnes investigationes peregisse ac omnia collegisse quae ad Servum Dei quomodocumque referri possint; 2° nullum documentum aut textum adulterasse vel mutilasse. Iidem vero testes interrogandi quoque sunt circa authenticitatem et valorem singulorum documentorum vel textuum allatorum.

4. — Documenta et testimonia scripta, in praedicta investigatione collecta, inseri debent in Processum, aut in originali, aut in originalis copia photographice expressa, aut in exemplo authentice recognito.

5. — Testes omnes, in responsionibus ad interrogatoria et ad articulos circa vitam, virtutes, antiquam famam sanctitatis vel martyrii, aut antiquum cultum, omnes illas notitias omittant, quae ipsis ex lectione tantum testimoniorum scriptorum innotuerunt.

(Ex Actis Ap. Sedis, num. 4, 5, 7, 1939 a.)

CHRONICA

CIVITAS VATICANA

Multi iuvenes operarii ut peregrinatores religiosi Romam venient. Paulo ante Summ. Pontif. adierunt Capellani societatum iuvenum operariorum Francogalliae et Helvetiae. Iamvero mense Septembri magna peregrinatio religiosa omnium fere participum illius societatis (I.O.C.) Iuvenum Operariorum ex civitatibus supra commemoratis Romam proficiscetur, cui circiter 20 milia iuvenum catholicorum intererunt. Qui quidem peregrinatores religiosi, ut nuntiant, Summum Pontificem honorificentissime salutabunt et certiorem eum facient de sua propensa in Illum caritate et benignitate.

GALLIA

Ultimis sex annis cura et impulsu archiepiscopi Parisiorum Eminentissimi Cardinalis Verdier 97 novae ecclesiae et sex capellae in territorio Francogallorum exstructae sunt et proximo tempore etiam septem templa exaedificabuntur.

Gallia, quae merito fidelissima filia Ecclesiae Catholicae existimatur, plurimas ecclesias B. Mariae Virgini consecratas possidet. In solis Parisiis 50 ecclesiae, quae sub titulo B. Mariae erectae erant, exsistunt. Proximo tempore liber a quodam sacerdote Francogallico scriptus typis edetur, in quo historia harum ecclesiarum enarrabitur.



Statua B. M. Virginis, quae in oppido Mas Rilher aestate huius anni erigetur. Longitudo capitis 3 metrorum erit.

Hoc opus artificiosum a sculptore Georgio Serraz perficitur (Confer „Mil. Im.“ num. 2 a. 1938).

Praecipui honores Francogallorum Reipublicae Praesidentis. Ut in ephemeridibus Parisinis legimus Praesidentem Reipublicae Francogallorum titulo Canonici „honoris causa“ aliquot Francogallorum ecclesiarum cathedralium nuncupari posse. Tum quoque esse participem curiae collegii Canonicorum cathedrarum in urbibus Lyon, Chartres, Orlean et Chalon. Praeterea esse Praesidenti titulum: „Protectoris ecclesiarum Francogalliae“. Privilegiis his uti etiam extra Francogalliae fines, quippe qui titulo patroni ecclesiae sancti Ioannis Lateranensis ornatus sit.

HELVETIA

Societates iuventutis Helvetiae in concilio publico palam professi sunt se summo odio scaenicos pornographicos ludos, qui in Corso-Theatro-Zurich celebrabantur, prosequi. Tum quoque in Francogallia simile odium catholicorum apparuit, quo mores incestos et meretricios prosequuntur. Iamvero in senatu Francogallico lex promulgata est, ut mores publici diligentissime servarentur.

HISPANIA

Quemadmodum religionis Christianae res in Hispania constituantur? Primis diebus mensis Iunii consilium archiepiscoporum Hispaniae habitum est, in quo gravissimae res de constituenda Ecclesia Catholica Hispaniensi peractae sunt. Itaque inde a bello civili suscepto Actioni Catholicae Hispaniensi catholici saeculares episcopo Tortosae praefecto praefuerunt, qui sunt participes Generalis Commissionis, quae „Central — Iunta“ dicitur, quaeque catholicis saecularibus et episcopo, suasore clerico, constat. Nunc autem in nova Hispania cura Actionis Catholicae Cardinali Primati Hispaniae Goma y Temas permittetur. Praeterea speciale Concilium Generale constituetur, quod de variis rebus ad fidem spectantibus opinabitur. Fas est commemorare postremo tempore doctrinam et integros mores Christianos florentissime renatos esse apud catholicos Hispaniae, tum quoque plurimos candidatos ordini clericali ultimis decem annis nomen suum dedisse.

Signa Christi crucis in scholas Hispaniae restituta sunt. In omnibus scholis Barcellonae magna cum caerimonia signa Christi crucis rursus posita sunt plurimis catholicis praesentibus, magistratibus publicis et praefectis militaribus. Priusquam signa crucis suspensa erant, in aede cathedrali illius urbis sollemniter consecra-

ta sunt. In nonnullis etiam ludis publicis episcopus Barcellonae ipse signum Christi crucis in aulis recreationis et in classibus suspendit. Tum quoque signa Christi crucis in omnes Barcellonae superiores scholas restituta sunt.

Quot templa in capite Hispaniae remanserint. Bello civili Hispaniensi composito tantummodo 21 templa in capite Hispaniae remanserunt, quorum numerus antea 300 attinebat. In iis ecclesiis, quae integrae permanserunt, sollemnes celebrationes gratias Deo agendi causa peractae sunt. Reliquae ecclesiae sive omnino deletae sunt, sive in castra militaria, cinematographicas aedes, cubicula sessionum etc. commutatae sunt.

Qua erga Deum pietate generalissimus Franco, Hispaniae nationalis moderator, excellat. In Portugallico „Nuntio Cordis Iesu" notabiles res, quae pietatem generalissimi Franco attinent, traditae sunt. Itaque illum excellentissimum virum Missae sacrae non solum diebus festis sed etiam negotiosis adesse, saepe etiam Sanctissimum Sacramentum sumere. In conclavi autem, in quo cotidie suis muneribus fungitur, suspensum esse signum crucis Christi, imaginem Sanctissimi Cordis Iesu et Matris Sanctissimae de Pilar. Cum autem hostes in bello Madritico acrius urgerent, tum generalissimus Franco ita oravit: „Sanctissimum Cor Iesu serva nos, Mater Sanctissima adiuva et defende nos! Tu enim es nostra Imperatrix". Praeterea memorare licet illum excellentem virum ipsum in sua familia Rosario recitando praeesse.

IRLANDIA

Numerus protestantium in Irlandia continuo minuitur. In generali concilio Ecclesiae Anglicanae summus princeps illius confessionis firmiter exposuit ultimis decem annis numerum confessorum Ecclesiae Anglicanae 26 milibus personarum minutum esse. Tum quoque vehementissime suos fideles cohortatus est, ut sancta vincula connubii summo honore afficiant.

POLONIA

Votum Beatissimae Mariae Virgini Claromontanae a fabris claustrariis Polonorum oblatum est. Die 7 mensis Mai participes Sodalicii Christiani fabrorum claustrariorum obtulerunt in urbe Częstochowa Matri Dei Claromontanae scutulum pectorale. Praeterea pulcherrima lilia ex aere manibus caelata oblata erant, quae sunt signum Immaculatae Conceptionis Matris Dei. Quae quidem lilia summo artificio excussa calicibus similia et foliis argentosis cum vitta aurata hanc inscriptionem habent: „Reginae Regni Poloniae — Sodalicium Fabrorum claustrariorum Varsoviae die 7 Iunii 1939 a."

Hoc religiosum signum ex auro confectum cum imagine B. Matris Dei Claromontanae inter signa positum cum aquila et sigillo illius Sodalicii Christianorum Fabrorum Claustrariorum habet inscriptionem in vittis impressam: „Sub Tuum praesidium confugimus".

Consecratio statuae Beatissimae Mariae Virginis, Patronae Iuventutis Academicae. Medio mense Maio hoc anno in „Academicorum Aede Sanitatis" locis, quae Mikulszyn appellantur, statua B. Mariae Virginis, Patronae Iuventutis Academicae consecrata est. Itaque illi celebrationi Rectores et Professores superiorum scholarum Leopolis atque frequentes Academici interfuerunt, qui eo convenerunt.

Dies festi Mariani in provincia Polonorum, quae Wołyń appellatur, habiti sunt. Die 29 Mai hoc anno in oppido, cui nomen est Równe, in orientali provincia Poloniae, quae Wołyń appellatur, celeberrimus dies festus habitus est, quo exemplar miraculosae imaginis Matris Dei Claromontanae (de Częstochowa) a piis Patribus Paulinis ex urbe Częstochowa colonis illius praefecturae dono datum est. Cui tam splendidissimae celebrationi

plurimi fideles ex provincia Volinensi et ex aliis finitimis regionibus interfuere. Vestimentum illius imaginis ornatum est septuaginta et septem emblematibus variarum legionum Polonarum, quae proelia ad praefecturam Volinensem hostibus liberandam commiserant. In finibus illius regionis adventum miraculosae imaginis, reverendissimi episcopi Adolphus Szelążek et J. Gawlina, praefectus eius provinciae atque generalissimus Smorawiński expectaverunt.

Vota Mariana iuventutis Academicae locis Silesiae, quae Piekary appellantur. Polonorum iuventus Academica praefecturae Silesiacae die 29 mensis Iunii sollemnissime vota Matri Dei, quae sedem suam locis Piekary habet, obtulerunt et hac re sua prima excellentissima vota Academica anno 1936 manifestata confirmaverunt, cum omnes totius Poloniae Universitatum studiosi Immaculatam Matrem Dei suam Reginam atque Dominam appellaverunt.

Ex tota Polonia excubiarum, quae in compescendis incendiis versantur, concursus in urbe Częstochowa factus est. Die 18 mensis Iunii hoc anno concursus excubiarum, quae in compescendis incendiis versantur, in urbe Częstochowa habitus est. Gratiae referendae causa participes excubiarum, quae in compescendis incendiis versantur. Poloniae Restitutae pulcherrimum signum religiosum ex auro confectum Beatissimae Mariae Virgini Claromontanae obtulerunt. Quae quidem celebratio summa caerimonia habita est, quoniam tum plurimi legati ex tota Polonia eo concurrerunt. (Vide imag. infra).

Pia peregrinatio deputatorum ac senatorum reipublicae Polonae ad honorandam B. M. V. Częstochoviensem (Claromontanam).

Die 6 Julii venerunt Częstochovam (Clarum Montem) ut peregrini senatores necnon deputati gubernii Poloni. Qui omnes sollemnem Missam audiverunt multique eorum S. Eucharistia se refecerunt.

Aureum diadema B. Mariae V. de Jazłowiec superimponitur. Die 9 Julii statuae B. Mariae V. de Jazłowiec nomine ipsius Summi Pontificis Pii XII diadema regium sollemni ritu impositum est. Quibus sollemnitatibus quam plurimi interfuerunt, inter quos praecipue Sorores Immaculatae Conceptionis nocnon equites exercitus poloni s.d. „de Jazłowiec" (Ułani Jazłowieccy) enumerandi sunt.

Magnus congressus S. Francisci Assisiensis asseclarum. Recurrentę centesimo quadragesimo lustro, quo S. Francisci Assisiensis III Ordo in



terris Poloniae fundatus est, die 8 Julii ad thronum B. Mariae V. in Częstochowa (Clarus Mons) amplus congressus Franciscanus celebrari coepit. Notatu dignum est, quod huic congressui ultra centum milia fidelium interfuerunt, qui sive curru viae ferreae sive vehiculis sive pedibus undique ex tota Polonia praeeuntibus 300 sacerdotibus saecularibus ac 120 religiosis advenerunt.

AMERICA

Monumentum Summi Pontif. Pii XII in Civitatibus Americae Confoederatis extruetur. In Civitatibus Americae Confoederatis (USA) consilium captum est, ut in freto Oakland monumentum praesentis summi Pontificis Pii XII poneretur in memoriam itineris ab eo facti, qui tum muneribus Secretarii Civitatis Vaticanae functus erat.

Excellentissimus ephemeridum Americae scriptor fidem catholicam professus est! Mense Iunio hoc anno notissimus vir rebus publicis operam dans atque Americanus diurnorum Actorum scriptor, qui suis commentariis bellicis eminuit, cui nomen est Heywood Broun a reverendissimo praelato Fulton I. Sheeno ad fidem catholicam conversus est. Hucusque enim hic illustrissimus vir ecclesiae Anglicanae adscriptus erat.

ASIA

Princeps Actionis Catholicae Minister Instructionis Publicae factus est. Indiarum catholici magnopere laetati sunt excellentissimum virum C. I. Varkey Ministrum Instructionis Publicae nominatum esse. Hic vero illustrissimus vir notus princeps Actionis Catholicae erat atque pro suis laboribus Pontificio clipeo militari sancti Gregorii ornatus est et iam multos annos abhinc in Societate Catholica apud universos Indianos summa auctoritate et vi usus est. Itaque omnes fere congressus religiosi annui eius opera constituti erant. Eius quoque cura Catholicum Institutum ad laicos Indianos et Birmanos doctrina Christiana instruendos erectum est.

Sacerdos Sinensis 5 milia aegrotorum cura amplexus est. Sacerdos urbi Changaza praepositus natione Sinensis perfugarum curam habuit, quorum numerus 5.000 homines attinet, quique in castris praefecturae Changaza collocati sunt. Itaque aliquot mensibus plus quam 5 milia seri antiseptici morbis hominibus correptis adhibuit, ut eos gravibus morbis liberaret. Qui quidem aegroti ab illo sacerdote conciliati sunt Christo atque sacramento baptismi affecti sunt.

Universitas Catholica in urbe Sinensi Shanghai erecta est. Quamquam nunc in Sina gravissimum bellum geritur, tamen Universitas Catholica in urbe Shanghai erecta, quae „Aurora“ appellatur, continuo augetur, ita ut etiam pagani ei subsidio veniant. Itaque quidam notus medicus, qui religionem Buddhae confitetur, illi Universitati totam suam bibliothecam obtulit, quae viginti et quinque milibus operum, quae in artibus versantur, constat.

Antiqua versio Novi Testamenti sermone Sinensi composita. Praefecto Apostolico locis Cicikar in provincia Mandshukuo reverendissimo Hugentoblero quaedam familia Christiana octo magnos tomos scriptura Sinensi typis excriptos in ligno incisos dono dedit. Diligentius cum viri doctissimi hos libros perspexissent, in persuasionem venerunt hos esse libros Scripturae Sacrae novi Testamenti sermone Sinensi compositos. Sed cum in libris nec locus edendi neque nomen interpretis tradita essent, difficile est definire locum, ubi translati sint illi libri. Itaque magnus litterarum Sinensium peritus O. Gilbert posse alterum de duobus esse declaravit: aut hanc versionem a quodam missionario catholico perfectam esse atque Pekini typis editam esse, aut a missionario schismatico, qui opus suum prope flumen Amur typis excripserit.



Mons. Joseph Faye

Primum in historia Ecclesiae tres Nigri Episcopi consecrati sunt. Summo Pontifice Pio XI, qui „Papa Missionum“ habitus est, 18 viri Sinenses, duo Iaponenses, unus Ceylonus atque unus Aethiops episcopi consecrati sunt. Pius XII, qui vestigia summi sui Antecessoris sequitur, initio sui pontificatus Nigrae Terrae aliquot indigenas episcopos dedit. Illi quidem paulo ante creati episcopi missionarii suis muneribus in variis Africae partibus funguntur. Primus eorum Excellentissimus episcopus Ignatius Ramarosandratana est Vicarius Apostolicus novae praefecturae missionariae, quae Miarinarivo appellatur, in insula Madagascar sitae. Praeter undecim sacerdotes Nigros novo Episcopo oboedient Italiani Trinitarii, ut sacerdotes Europaei. Excellentissimus Ramarosandratana quadragesimum septimum vitae annum agit. Studia philosophiae et theologiae in Seminario Patrum S.I. in oppido Tamanariva finivit. Alter episcopus Niger excellentissimus Ioseph Kiwanuka paulo ante erecto Vicariatui Apostolico de Masaka in provincia Uganda (praesidium et patrocinium Magnae Britanniae), praeest. Tertius episcopus quoque Niger est reverendissimus Ioseph Faye, particeps Concilii Spiritus Sancti. Mons. Faye muneri Praefecti Apostolici in provincia missionaria Ziguincher praeest, quae a vicariatu Apostolico de Senegal seiuncta est. Reverendissimus ep. Faye vix tricesimum quartum vitae annum agit. Itaque Summ. Pontif. Pius XII cum tres Nigros tanto honore affecit, ostendere voluit secundum Ecclesiae Catholicae doctrinam omnia hominum genera ac semina pari modo ducenda atque tractanda esse. Quapropter non solum cives gentium magno et antiquo cultu, sed etiam humiles filii Nigrae Africae summis honoribus inter suos populares fungi possunt.

„Actio Mariana“. (A. M.) Sub hoc brevi titulo a tribus circiter annis in Africa meridionali quidam Apostolatus Marianus initium sumpsit, qui quamvis magnae hominum multitudini adhuc incognitus, aut vix ab eo perspectus, quiete verum cultum ac devotionem erga Beatissimam Virginem disseminare studet. Haec Actio Mariana imprimis id spectat, ut devotio erga Beatissimam Virginem Deiparam per opera vel scripta typis impressa, necnon per inventum radiophonicum, atque per imagines arte permotas seu devolutas, propagetur et magis innotescat et confirmetur. Qui quidem finis ut eo melius obtineri ac promoveri possit, folium cui titulus: „Königin des Reiches Christi“ („Regina Regni Christi“), tamquam huic actioni proprium instrumentum, editum est, quod tertio quovis mense (interim lingua Germanica tantum) apparet. Ceterum haec pia Unio ad mentem doctrinae mariologicae circa sanctificationem propriam a B. Ludovico Maria Grignon de Montfort promulgatae, agere et procedere sibi proposuit. Sodales eius ad hoc etiam praecipue cooperari nituntur, ut folii memorati progressus D. a. promoveatur. Quod ab ipsis sodalibus A. M. pro folio hoc conscribi-

tur, nominibus eorum reticitis publicatur et solis litteris A. M. (Actio Mariana) subsignatur. Ex Statutis A. M., quae hucusque lingua Germanica et Anglica edita sunt, plura adhuc circa hanc Actionem cognosci possunt. Huic Actioni Marianae, quae iam a nonnullis Reverendissimis Episcopis approbata est et benedictione eorum prosecuta, nunc plus quam 1400 sodales adscripti sunt, inter quos non pauci Sacerdotes in variis terrae partibus seu provinciis. Qui unioni huic aggregari vel plus circa eam scire cupit, scribat ad: „Actio Mariana", St. Mary's Clerical Seminary, P. O. Ixopo Natal South Africa.

Numerus catholicorum in Africa crescit.

In Rodesia meridionali numerus catholicorum, qui iam baptizati sunt eorumque, qui brevi elementa christianae fidei cognoscent. 536.698 confessores explet. Praeter 81.758 Europaeos sunt ibi Aethiopes catholici numero 418.378 gente, quae Bantu appellatur, orti, deinde 33.840 metisi, qui ita dicuntur, tum 2.724 Indiani. Atque ab anno 1932, cum a Summo Pontifice Pio XI Praefectura Apostolica Africae Meridionalis erecta esset, catholicismus magis magisque augetur. Legatus Apostolicus excellentissimus Gylswyk aliquot novos Vicariatus Apostolicos constituit atque numerum sacerdotum, qui re missionaria exercenda occupati sunt, auxit. Ad cultum missionarium promovendum variae „Caritatis" societates erectae et novi ludi constituti sunt, tum quoque cura maior Actorum et ephemeridum catholicarum habita est. Europaeis autem in Africa meridionali dissipatis haec periodica destinata sunt, quae unoquoque mense typis eduntur: „Catholic Times" et periodicum unaquaque hebdomada prodiens „Southern Cross". Indigenis vero duo periodica eduntur: „Moeletri da Basotho" in oratione „sesuto" compositum et „Um-Africa" in sermone „zulusco". Animis paganorum ad verum Dei cultum convertendis viginti et tres episcopi, 739 sacerdotes, 4.403 religiosae, tum 2.575 catechistae et aliquot milia magistrorum operam dant.

Sedis Apostolicae Legatus congressui byzantologiae aderit. Internationali congressui byzantologiae, qui Algeri, notissima urbe Africae meridionalis, hoc anno mense Octobri habebitur, sedis Apostolicae Legatus rever. P. Gulielmus Jerphanien S. I. professor Pontifici Instituti Orientalis aderit.

Res missionaria in Africa florentissime augetur. In Vicariatu Apostolico de Urundi catholicismus pulcherrime augetur. Numerus catholicorum, qui anno 1928 30 milia confessorum expleverat, nunc decemplici numero auctus est. Numerus quoque missionariorum 29 sacerdotibus auctus est. Sacerdotes indigenae nunc in numero 15 sunt (antea 4). Nihilo setius hic numerus nimis exiguus esse videtur propter magnam multitudinem paganorum, quos lumine veritatis Christianae illustrari oportet. In Vicariatu de Urundi 300 milia nunc catholicorum existunt.

Missiones

Quemadmodum res missionaria in mundo exerceatur? Reverendissimus Ioannes Thauren, professor Universitatis Vindobonae atque excellentissimus sacerdos missionarius paulo ante numeros ad rem missionariam spectantes promulgavit, praeterea autem firmissime exposuit postremo tempore numerum indigenarum catholicorum, qui in servitium Dei se reddunt, valde auctum esse. Itaque in Sina inter 4.452 sacerdotes missionarios indigenae sunt in numero 1.835. In Sina nunc 129 loca missionaria exsistunt, quibus 23 episcopi indigenae propagandae fidei operam dant. In Indiis erecta sunt 12 Seminaria Clericorum maiora, in quibus 900 candidati ecclesiastici ad sacerdotium praeparantur. Numerus autem sacerdotum indigenarum in Indiis 2.600 servos Dei attinet, in quibus 2.056 missionarii exterarum gentium versantur.

